

Pisces.

Image.

Qualitas. Triplicitas & eius domini. Facies. Domus. Malus Daemon.

Fines.

Influxus.

Horoscopi Piscium configuratio. Influxus.

Manil.

Piscium Stella.



ENSIS secundus apud Romanos & sub auspicio Neptuni, sicut ejus etiam in Signifero nota. Manil. & alij cit. mens. preced. Sol die 19. lustrat Pisces (domum minus principalem Jovis, cujus detrimentum in Virgine) & residet in Aquario, quod nullius Planetæ exaltatio, nec casus. Pingitur Signum propria piscium figurâ, utriusque ecliptica interfecante caudam, capitibus versus Boream. Est Signum aqueum, frigidum mediocrè, & nocturnum. Rectores ejus triplicitatis & domini, Venus in die, nocte Mars, Lunaque participat cum eis. De triplicitate est quartâ. Grannuyf. & Galluc. Prima Piscium facies est Saturni, secunda Jovis, tertia Martis. Pontan. Domicilium est Jovis. Domus dicitur Asini & bestiarum, domus inimici, deceptionis, invidiæ, doli, malevolentia, detractionis, laboris, mœstitudinis, foeminarum partus, & pressuræ, cæterarumque pestium, quas ex Gaudio Saturni Judicarij fanatici tribuunt duodecimæ domui. Claud. Dariot. cap. 13. & ex Misæle Berchor. & Anglic. cap. 21. Fines Piscium dividuntur hoc modo. Partes octo sunt Veneris, sex insequentes Jovis, sex Mercurij, sex Martis, quatuor ultimæ Saturni. Pontan. 1. de Rebus celest. cap. 23. Quæ Veneri dicatæ, jucundæ sunt, suaves, urbanæ, gratæ, hilares, geniales, beneficæ, acceptæ, amabiles. Quæ Jovi, arbitrantur esse rerum naturalium studiosas, eloquentes, eruditas, curiosas, populari auræ deditas, fratrumque ac filiorum foecundas. Quæ Mercurio addictæ, honorabiles, præpositas magistratibus, amicitia appetentes, religiosas, pias, modestas, & officiosas. Quæ Marti dicatæ, efficaces dicunt diripientium, profundentium, loquacium, instabilem; nefarias, scelerum magistras, quæque violentam mortem portendant. Saturno adscriptæ, asserunt esse noxias, fortunæ bonorum damna, jacturasque denunciare. Orientibus Piscibus, culminant Gemini, occasum tenet Virgo, imum Sagittarius. Vid. Dariot. cap. 13. & Pontan. lib. 5. cap. 12. Unde quibus Piscium signum horoscopaverit, illi ingeniosi, amicitia cultores, sano consilio, fideli benevolentia, per magistratus illustres, famosi, divitijs & re familiari abundantes, adversariorum invidiæ victores, quia tunc Jupiter Medij cœli dominus. Quibus culminaverit, patrimonio amplissimo ornabuntur, & de alienis facultatibus ac contributionibus locupletes, & diversis locis divites; quia Signum Piscium bicorporeum est: hæc bona non à cardine, sed ex Jovis & Veneris beneficio procedunt, auxiliante Luna, Canceri domina. Quibus Pisces in occasu, vagi evadent, gratia ac benevolentia apud exteros vel peregrini valebunt, grati familiaritatibus ingenio prompto. In imo constitutis Piscibus, arridet fortuna: quisquis tunc in lucem venit, multâ fide, integritate, ingenijque dexteritate magnam sibi auctoritatem conciliabit. Hæc & alia, quæ meditatio prætereo, invenies apud eundem ibid. lib. 5. cap. 12. Quis non achiogelus hisce delirijs? Manil. ita canit lib. 4. cap. 1. à v. 273. & cap. 2. à v. 73.

Ultima quos Gemini producunt sidera Pisces, Garrulitas odiosa datur, linguaque venenum, Verba maligna novas musitantis semper ad aures, Crimina per populum, populi fert ore bilingui. Nulla fides inerat natis, sed summa libido: Ardentem medios animum liber ire per ignes. His erit in Pontum studium, vitamque profundo Credent, & puppis, aut puppibus arma parabunt. Adde gubernandi studium. Pervenit in astra Et Pontum celo conjunxit. Noverit orbem, Fluminaque & portus mundi, ventosque necesse est, &c.

2 Stellæ Signi Piscium sunt 34. tert. magnit. 2. quart. 22. quint. 3. sext. 7. Clav. Constell.

stell. 33. & Galluc. cap. 36. Sider. 33. Unum vocant Aquilonium, alium Australem, ex adverso caudis utrinque positis, ligatis nodo cœlesti, seu lineâ stellis 13. nitente, ab Arieti pede primo. Idem ibid. Manil. 1. Astron. cap. 5. v. 11. Ant. Const. & Paul. Mars. in 2. Faistor. à v. 458. Juxta Firmicum & Junctin. si apparuerit in aliqua stella Piscium cometa signat discordiam inter affines, bellumque crudele: rixas, viarum obsessiones, & contentiones ex fidei ac religionis causa; unde varia aborientur in aere prodigia. Ut sciatur, qua parte dicta contingent; attendendum, quod cauda crinita respiciat. Albumasar. Si fuerit partibus Occidentis, varios rumores denotabit, ex quibus præterquam quod belli femina dispergentur; suspecta etiam erit in carceres multorum detrusio & captivitas: & durabit annis tribus, & erunt aves multæ & pisces cum inundationibus fluminum. Idem AA. Prisci commenti sunt, Venerent & Cupidinem fugientes Typhæum sub forma piscium expertes fuisse periculi imminenti. Anselmus de Imagin. mund. lib. 1. cap. 26. Hygin. Anton. Constant. & Manil. 4. cap. 2. v. 78.

Scilicet in piscem sese Cytherea novavit, Cum Babylonicas summersa profugit in undas, Anguipedem alatos ungues Typhona ferentem.

Ovidius 2. Faistor. asserit, hos fuisse geminos pisces Euphratis, qui Venerem & Cupidinem receperunt, cum in pugna gigantum Typhona fugerent; pro quo nunc dignum sidera nomen habent, igitur tergo iustinerunt Deos. Totum à v. 460. & ibid. Paul. Mars. Hinc Syri pisces venerantur, nec numen violant illorum essu: immo eorum simulacra inaurata pro Dijs Penatibus colunt. Id. Nigidus addit Ovidij fabulæ, hos apparuisse mirabiliter pisces in Euphrate, postquam Cupidinem & ejus matrem absconderunt, quæ inferuit suos squammosis piscibus ignes; & ibi ovum peperisse miræ magnitudinis, quod volventes ejecerunt in terram juxta ripas, ibique infedisse columbam, quæ post dies aliquot exclusit ex ovo Deam Syriam (de qua nos fusè 4. April. & 29. August.) Venerem, scilicet, fautricem hominum, summèque speciosam: cujus pulchritudinem adamarus Mercurius, laudavit apud Jovem: cui quidem optione eligendi datâ, concessit, ut pisces qui suam originem servarunt, immortalitate donarentur: tuncque Jupiter inter duodecim Signa in Zodiaco collocavit. Hinc apud Syros cultus Piscium, & columbarum. Galluc. etiam quod supr. Strabo & Diodor. Sicul. in histor. fabul. lib. 2. referunt Venerem, facie virginis, piscem verò reliqua corporis parte delusisse Dercetin, qua de causa sub hac imagine colebatur à Syris, de quo loc. cit. Pontan. in Uran. lib. 3. canit, unum è piscibus Venerem illicò natam deportasse in Paphum, relictamque ad littora Cypri: Chartar. in Vener. imag. fol. 341. alium vexisse per æquora usque in auriferum Tagum, quod convivium celebre ac solemnitas Deorum, in quorum concursu plausa præ cunctis pulcherrima. Tunc Jupiter

Commotus precibus nata, meritisque natantum, Immisit celo, stellisque ardentibus aptos, Fulsit in ætherio geminos splendere recessu.

De nodo caudæ Piscium, quem dicunt Jovis zonam, idem ibid. asserit fuisse clypeum Martis, quem objecit Arieti fortiter cornu petenti, sed Aries fregit, ac dispersit, Martemque videntibus Superis: qui quidem

Mox clypeum illustrant astris, monumentaque lato Affigunt celo, æternam restantia pugnam.

Hac de causa fixus, quasi trophæum, juxta pedem primum Arietis. 3 Ortis Piscibus, oriuntur quoque juxta Ptolom. Hygin. & Aratum Pristis, seu Piscis notius, id est, Australis, Andromeda medium, & Pegasi reliquum. De Pristice, seu Notio Pisce plura pro voto cujusque fabulati sunt Poætæ. Hic piscis dicitur Magnus, cujus Piscis sunt nepotes, qui Signum Zodiaci, quia Cupidinem filium Veneris naufragum liberavit à vorticibus, deportans ad matrem in Cyprum. Stofler. Aliter Galluc. equidem non Cupidinem, sed Dercetin, seu Dagon, filiam Veneris, prolapsam in stagnum Boëth, conversam arbitratur in piscem, quam Syri Deam venerantur; quaque de causa pisces argenteos illi in templo offerunt. Paul. Mars. ubi supr. asserit ex Hygino, laborantem quondam Isim, Osiridem requirentem, à periculo liberasse: pro qua gratia ejus simulacrum & filiorum inter astra constituisse, ornasseque 12. stellis, quint. magnit. 2. quart. 9. prim. 1. juxta extremam aquam ex urna Aquarij. Clav. Constell. 48. & Galluc. lib. 5. cap. 51. Pristicem immisissam Andromeda, de qua n. 4. intelligit Pontan. lib. 4. Uran. sed Cete fuit, de quo in Mai. n. 14. agemus. Alij concinnant figmentum de duplici Scylla. De filia enim Ni-

Cometes.

Fabula Piscium.

Manil.

Venus & Cupido.

Dij Penates Syriam.

Dea Syria.

Derceto.

Pontan.

Nodus Piscium, & Zona Jovis.

Idem.

Scutula Martis.

Pristis, seu Piscis Notius.

Fabula.

Isis.

Scylla.

Ni-

Nisi rege Megarensium, quæ deperiens Minoem, patris secuit purpureum fatalem capillum; cuius flagitium, prodicionemque pertæsus Minos, illam in profundum maris deturbavit; fuitque facta monstrum marinum, etsi Virgil. 1. Georg. à v. 405. & Ovid. 8. Metam. fab. 1. in Cirim, seu Alaudam fuisse conversam finxerint. Ita Strab. lib. 8. & Pausan. cap. 77. At Isacius astruit ob furtum boum Geryonis factum Herculi, fulmine ictam fuisse à Jove; & in monstrum marinum mutatam (quamvis Myro Prianeus in Messeniæ reb. affirmet, non à patre Niso, sed Phorcine, postquam illam discepit Hercules, in lebe- te subjecto igne coctam, revixisse) cujus imaginem in cœlo collocavit. Alij denique Scyl- lam censent, veneficis Circes propter Glaucum, vel dolo Amphitrites propter Neptu- num, medicato fonte, in monstrum marinum transformatam fuisse pube tenus. Unde Vir- gil. 3. Æneid. v. 426. inquit:

Fabula.

Prima hominis facies & pulchro pectore virgo
Pube tenus, postrema immani corpore pristis.

Virgil.

Eadem Horatius, de Arte, à v. 1. Ovid. 14. Metam. fab. 1. ex Homero, 8. Odys. à v. 75. Illam siccine foedatam, miseratione allecti Dij in cœlum ad Australem plagam extulerunt; & eà formâ, qua patuit, postquam in mare est ingressâ. Piccolomin. Dicta fuit Piscis & Notius; quia est inter hyemalem & Antarcticum circulum, juxta Coronam Australem, unde ventus.

Tum Notius Piscis, venti de nomine dictus,
Exurgit de parte Noti.

Manil.

Manil. 1. Astron. cap. 5. v. 131. Influxus hujus Asterismi est pyratarum mare latrocinij infestantium; ac impotentis inclinationis in aquas, vel damno accepto: de quo mericè Jov. Pontan. in Uran. lib. 4. & Abenragel, in Astrolog. Arab.

Influxus.

4 De constellatione Andromedæ etiam fabula: igitur cum à Cupidine adamata esset, & repulisset immò dolo superasset, cum puer esset & cæcus, quippe surripuit sagittas, quas oscitantem in ipsum retorfit: unde Achill. Bocch. symbol. 6. succinit:

Cupido de- ceptus.

Ast ubi sunt arcus positi, positaque sagitta,
Incauti figit pectora nuda Dei.

Bocch.

Tradita fuit pisci crudæ in pastum. Tradita belluæ, ac exposita in rupe venturo mari- no draconi; liberata fuit à Perseo prætervolante, quam subinde in uxorem duxit. Arat. à v. 354. Manil. 1. cap. 5. à v. 88. & fuscè lib. 5. à v. 549. Hygin. fab. 64. & lib. 3. cap. 10. Galluc. cap. 23. Unde Germanic. Cæsar, cap. 15. in Arat. accinit:

Sic emicat ore
Sic magnis humeris candens nitet, ac media ambit,
Ignea substricta fulget, qua zonula palla,
Sed penè facies remanet, distractaque pandis
Brachia, ceu magni teneantur robore saxi.

Germanic.

Quia Cassiopeja formam filia Nereidibus prætulit (vel formam propriam Andromeda, ut inquit Ovid. 4. Metam. fab. 18.) vincita fuit & exposita in caute maris ceto voraci; ut placet Cicer. in Arat. & Natal. à Comit. 7. Mytholog. cap. 18. Unde cum per Perseum à tanto eximeretur discrimine, interfecto monstro; à Minerva, Persei faurice, cum paren- tibus, & victore, translata est in cœlum ea formâ, qua vincita, manus extendens ad Per- seum, cujus vestem decoravit 24. stellis: 2. secund. magnit. 7. tert. 12. quart. & 4. quint. Brevi influxus signat Pontan. d. subdens:

Stella, & influxus.

Vinclaque, carcerque, & nodoso ex ære catena
Carnificesque manus, & acutam in collo securim.

Pontan.

Stella, quæ in capite Andromeda, collocatur à Clavio in umbilico Pegasi: qua de causa Manil. supr. v. 87. accinit: Pectus fulgenti sidere clarus.

Vincula An- dromeda.

5 Tota fabula ex constuprata sacra Jonæ historia in Joppe. Hinc Plin. lib. 5. cap. 13. Sacro (inquit) saxo, in quo vinculorum Andromeda vestigia ostendunt. Solin. cap. 37. Id oppidum saxum ostendat, quod vinculorum Andromeda vestigia adhuc retinet: quam expositam bellua non ir- ritus rumor circumtulit. Adi Isagog. Novembr. n. 24. Juxta præfatos Astronomos, ortis Pis- cibus, etiam oritur Hercules, quem dicunt Ingeniculum, & Engonasin, sinistro pede Caput Draconis calcans. Scenam dicunt Alcidis expressam cœlo, decertantis cum Hy- dra, ex qua pugna summam Jupiter voluptatem concepit, & virtutis tantæ me- moriam inter astra descripsit. Jul. Firmic. Mathes. 7. & Hygin. lib. 3. cap. 5. Dicitur Ingeniculus (Græc. Engonasis) quali in genua prociduius, ut majorem vim ictu clavæ exprimeret in draconem. Idem. lib. 2. cap. 7. Vid. Julij Isag. à n. 21. Anselm. 1. de Imag.

Hercules.

Mund.

Mund. cap. 27. refert in cœlo collocatum, eò quod cœlum humeris sustentavit cum At- lante, dum Dij recedebant in tuta, ac cœli remotiora loca, Typhæo conante in expugna- tione cœli cardines evellere; ut Dij cum illo pariter in scopulis allisi jacerent. Fusè Non- nus, lib. 2. Dionys. & Natal. Comes, 4. Mytholog. cap. 7. ac lib. 7. cap. 1. Boëtius, 4. de Con- sol. Philosoph. Metr. 7. v. 28. Senec. in Hercul. fur. v. 69. inquit:

Fabula.

Posse cælum viribus vinci suis
Didicit ferendo: subdidit mundo caput,
Nec flexit humeros molis immensa labor,
Mediusque collo sedit Herculeo polus.
Immota cervix sidera & cælum tulit.

Senec.

Perè eadem Claudian. 1. de Laud. Stilic. à v. 143. Æschil. in Prometh. & Hygin. d. etiam alia comminiscuntur, asserentes pugnam Herculis pro grege initam: sed postquam illi te- la defecerunt, multitudine barbarorum, armorumque inopiâ defessum, se ingeniculasse, multis jam vulneribus acceptis: Jovem autem miserum filij circa eum copiam lapidum congregasse, quis fugavit hostes. Non Herculem, sed Theteum esse, Hegesianax cogita- vit, ibid. qui Træzæne saxum extollere videtur, quod existimatur Ægeus sub eo Pelopium ensẽm posuisse

Cælum tu- li.

Theseus.

& Æthra Thesei matri prædixisse, ne ante cum Athenas mitteret; quam lapide sublato, sua virtute po- tuisset gladium referre. Plutarch. in Theseo, & Natal. Comes 7. Myth. cap. 9. qui addit, secur- rim arripuisse, interfectorum Herculem, indutum leonis pelle, ac leonem bipedem esse putantem. Adi Zetz. 1. Chil. hist. 19. Pausan. cap. 15. & Ovid. 8. Metam. fab. 2. Alij Engona- sin arbitrantur Lycaonem, de quo Isagog. Decembr. n. 24. Alij Thamirum à Musis excaca- tum, suppliciter ad eam genua jacentem. Hygin. 2. cap. 7. Hic Asterismus constat 29. stell. Clav. constell. 7. & Galluc. d. cap. 10. tert. magnit. sunt 6. quart. 18. quint. 2. ac sex- te, 3. quarum influxus præstigiatores, circulatores, oribatas (vernaculè. Tyrriteros) & funambulos constituit. Sub Engonaseos horoscopo debent Astronomi dicere natos illos in- dustrios elephantis, qui in Romæ spectaculis non solum intrepidè incedebant, sed & sal- tabant, stupente Urbe. Senec. Epist. 85. Sueton. in Neron. cap. 11. in Galb. 6. Pliniusque lib. 8. cap. 3. Pontan. 4. Uran. ita in propositum canit:

Pelopis gla- dius.

Lycaon.

Thamiris.

Stella In- geniculi, & influxus.

Elephantis funambuli.

Corporaque extento jacent pendencia sume,
In gyrum cogant artus, & cerea membra,
Perque enses moveant udis vestigia plantis.

Pontan.

6 Februarii dictus à Februis, id est, lustrationibus. Unde Ovid. 2. Fastor. v. 19. Fe- brua (inquit) Romani dixerunt præcula Patres. Idem M. Varro, 5. de Ling. Lat. & de Vir. Popul. Rom. à Deo Februo, seu Plutone, Principe Manium, ut ait Isidor. 5. Etymolog. cap. 31. Macrobi. 1. Saturn. cap. 13. cogitat, eò quod hoc mense inolitum, Civitatem lu- strari. Alia refert Ovid. loc. cit. quæ variâ eruditione roborantur ab Hercule Ciofan. Paul. Marf. Anton. Constant. & Gregor. Berfmannio, de quibus, in Dieb. Apud Ægyptios ima- go Februarij mirifica sub obscuris hieroglyphicis. Regnum erat Ichthonis (id est, Vene- ris, quæ in Scriptura dicitur Dagon. de qua, 29. August.) cujus corpus definebat in piscem, habentis in manu imaginem seu idolum. Kircher. Oedip. Tom. 2. p. 2. class. 7. cap. 7. Simula- crum velato vertice viperam emergentem continet, hircum cornibus tenens, quem gla- dio jugulat: tutulum habet florigerum, tribus fascijs compactum, & bisulcæ flammæ im- positum. Nihil aliud signabat, nisi vim Solis, quæ videbatur sepulta, patulim augeri & quasi reviviscere ad herbas producendas, ut in flores terra erumpat. Iccircò velato capi- te, ut per calorem, signatum in flammis, aperiatur annus quasi vipera emergens. Tabul. Bembin. hic Kircher. in Mensa Isac. cap. 5. & Hervyart. in Theatr. Hæc statio dicitur Ma- ter Mendesia, uti videbimus, 21. Mart. Mendes inter Ægyptios idem est ac Caper: in hocque Mense hircos immolabant, quasi in ineuntis anni auspicium; quoniam capellæ erant Isidi in delicijs. Ælian. 10. Animal. histor. cap. 23. Addit Kircher. Hinc ad Græcos videtur mâ- nasse Capricorni in cælum translatio. Apud Latinos Februarij imago erat Senis ad Larium ignem se calefacientis, induti, potiùs sepulti, pannis, quem circum pompa lucernarum, sepul- chra gyantium. Aufon. Edyl. 20. succinit:

Februus.

Ichthoua.

Dagon.

Imagines Febr.

Ad quem cæruleus nodo constringit amictus,
Quique paludicolam prehendere gaudet avem.
Dadala quem jactu pluvio circumvenit iris
Romuleo rictu Februa mensis habet.

Aufon.

Vide hic Eliam Vinet. n. 322. Mensis olim 30. diebus (apud Hebr. 29.) gaudebat: modo 28. constat, nisi anno bisextili, quorum

DIES